

SUPREMUM SIGNATURAEE APOSTOLICAE TRIBUNAL  
Decretum definitivum

**Prot. n. 47637/13 CA**  
***Dimissionis a consociatione***  
**(D.na N. - Pontificium Consilium pro Laicis)**

**DECRETUM DEFINITIVUM**

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno II, die 22 octobris 2014, Supremum Signaturaee Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Raimundo Leone Card. Burke, *Praefecto*, Velasio Card. De Paolis, C.S., *Ponente*, Iosepho Card. Versaldi atque Exc.mis et Rev.mis Stanislao Zvolensky et Antonio Stankiewicz, atque intervenientibus Cl.mo J. Villa Ávila, utpote Cl.mae Recurrentis Advocato-Procuratore, Cl.ma M. Wegan, tamquam Patrona Auctoritatis ecclesiasticae, necnon Rev.do P. Nicolao Schöch, O.F.M., Promotore Iustitiae Substituto, hoc definitivum tulit decretum.

**FACTI SPECIES**

D.na N., titulo advocatae in foro civili exornata, anno 2004 utpote sodalis definitive admissa est in v.d. *Foyer X*, ad consociationem privatam internationalem pertinente.

Rev.dus Praeses totius consociationis, Recurrenti die 31 ianuarii 2011 sponte sua et die 17 februarii 2011 etiam de consensu sui Consilii, ad regressum in patriam invitavit ad redintegrationem in vita extra domum consociationis praeparandam, quod D.na N. recusavit. Rev.dus Praeses v.d. *Foyer X* igitur, colloquiis et epistolari commercio cum Recurrente peractis, die 4 februarii 2012 dimissionem a consociatione decrevit, contra quam decisionem, etiam a Rev.do Praeside sedis principalis subscriptam, ipsa die 10 februarii 2012 remonstrationem apud Rev.dum Praesidem sedis X interposuit et die 17 aprilis 2012 ad Pontificium Consilium pro Laicis provocavit, quod, amplio supplemento instructorio peracto, recursum hierarchicum contra ipsam dimissionem decreto diei 18 decembris 2012 reiecit, sed decisionem quoad subsidia concedenda emendavit.

D.na N. die 1 februarii 2013 ad hoc Supremum Tribunal recurrit, simul suspensionem actus impugnati petens, quam petitionem Em.mus Praefectus in Congressu diei 5 aprilis 2013 reiecit.

Re tandem rite discussa inter Cl.mum J. Villa Ávila, Patronum Cl.mae Recurrentis, Cl.mam M. Wegan, Patronam Auctoritatis ecclesiasticae, et Rev. dum Promotorem Iustitiae Substitutum, H.S.T. Congressus decreto diei 10 ianuarii 2014 statuit recursum non esse admittendum et facto non admitti ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis H.S.T. Iudicibus, quippe qui manifeste quovis careat fundamento.

Recursu motivis suffulto die 9 februarii 2014 ad Collegium proposito et brevissimis animadversionibus Cl.mae Auctoritatis ecclesiasticae Patronae die 19 februarii 2014 necnon voto pro rei veritate Rev.di Promotoris Iustitiae Substituti die 19 iulii 2014 receptis, nunc Nobis respondendum est dubio in sequenti: **An decretum ab Em.mo H.S.T. Praefecto die 10 ianuarii 2014 in Congressu latum reformandum sit.**

#### IN IURE ET IN FACTO

Cum obiectum disceptationis coram Em.mis Exc.mis que H.S.T. Iudicibus tantum sit confirmatio an minus decreti ab Em.mo Praefecto in Congressu diei 10 ianuarii 2014 lati, introductio vel petitio novarum probationum haud permittitur (cf. art. 42, § 2, conlatum cum art. 84 *Legis propriae*; Decretum definitivum coram Gantin, diei 20 apr. 1991, prot. n. 20012/88 CA, n. 10; Decretum definitivum coram Kasyna diei 17 iun. 2014, prot. n. 46893/12 CA, n. 4).

Iuxta Cl.mum Recurrentis Patronum H.S.T. decretum non normas positivas de dimissione, quae deessent, sed ius naturale violavisset. Ad rem animadvertendum est can. 308 de dimissione e consociatione remittere ad statuta consociationis, quae in artt. 42 et 47 de dimissione provident.

Nec in recursu ab H.S.T. disceptandum est de violatione legum civilium X, de quarum canonizatione can. 1290 tantum pro contractibus agit. Inter consociationem autem et Recurrentem nec contractus laboris stipulatus est, nec Recurrens anno 2004 ad officium advocatae exercendum definitive in consociationem recepta est.

#### *Quoad assertas legis violationes in procedendo*

Cl.mus Patronus in primis dubium proposuit, utrum scilicet Rev.dus Praeses Foyer X consensum sui Consilii obtinuerit, concludens in dubio pro Recurrente standum esse, quod principium tamen tantum processum poenalem respicit, cum onus probandi hoc in recursu ad Recurrentem spectet.

De consultatione autem membrorum communitatatis iuxta art. 42 plane

constat ex actis, nempe ex processu verbali diei 12 septembbris 2011 et ex litteris ipsius Recurrentis diei 22 augusti 2012, dum Rev.dus Praeses v.d. *Foyer X* in relatione diei 16 novembbris 2012 asseruit se consensum Consilii obtinuisse.

Ad assertam dein violationem iuris defensionis quod attinet, ante omnia animadvertisendum est praefatum ius consistere in notione summaria rationum dimissionis et in facultate Recurrentis probationes et argumenta coram Pontificio Consilio pro Laicis exhibendi (cf. H.S.T., Decretum definitivum coram Davino, prot. n. 27897/97 CA, 20 iun. 1998, n. 12), sed uti iam impugnatum decretum H.S.T. Congressus indicavit, causae cum Recurrente iam in litteris diei 17 februarii 2011 a Praeside sedis principalis communicatae erant.

Quaedam utique confusio in procedendo ante decretum dimissionis diei 4 februarii 2012, sive a Rev.do Praeside v.d. *Foyer X* sive a Rev.do Praeside v.d. *Foyer* centralis subscriptum, circumstantiis externis tribuenda est, videlicet traditioni officii Praesidis in v.d. *Foyer X*, sed absque dubio omnia emergunt legi conformia in procedendo ex parte Pontificii Consilii pro Laicis. Recurrens enim in amplis litteris diebus 17 aprilis 2012, 11 iulii 2012, 22 augusti 2012, 12 novembbris 2012 et 20 novembbris 2012 ad Pontificium Consilium missis patefecit se probationes principales novisse et facultate probationes et argumenta coram eodem Pontificio Consilio exhibendi amplissime usam esse.

Non requiruntur tandem, in recursu hierarchico, iuxta constantem H.S.T. iurisprudentiam, contradictorium iudiciale, publicatio actorum, interrogatio testium et colloquium cum Praeside Dicasterii.

Non constat ideo de violatione legis in procedendo.

#### *Quoad assertas legis violationes in decernendo*

Tenet impugnatum Congressus decretum Pontificium Consilium recte utpote gravem et sufficientem causam pro dimissione attulisse “... faits graves qui portent atteint aux fins mêmes du Foyer ou en troubent la vie” (art. 42; cf. etiam artt. 25 et 33) atque actum esse de re permanenti.

Obicit vero Cl.mus Recurrentis Patronus vitam eius in communitatibus pacificam fuisse atque transitionem de domo ad domum illegitime impositam fuisse. Permanentia autem eius in istis communitatibus valde brevis fuit, domina testis ex v.d. *Foyer Y* non erat sodalis sed extranea, dum ex actis eluet Recurrentem frequentes translationes accepisse et postea vitam communiarium in novo *Foyer* recusavisse.

Nec valet argumentum, ex quadam Rev.di olim Praesidis v.d. *Foyer X* assertione ambigua, quae in contextu necessitudinis inter eum et Recurrentem interpretanda est.

Frustra quoque invocatur morbus psychicus, nam Recurrens semper efficaciter curata est et sese ceterum valde capacem monstravit ad munera iuxta

propriam mentem explenda et sese apte defendendam. Ut impugnatum decretum Congressus iam animadvertisit in casu non agitur de imputabilitate factorum, eo vel minus de delictis vel actibus dolosis, sed de illorum factorum effectu negativo in finem consociationis.

Non datur igitur violatio legis in decernendo propter insufficientiam rationum.

*Quoad assertam insufficientiam subsidii concessi*

Re sedulo perpensa ad rem confirmandum est Congressus decretum, iuxta quod: "Servata sunt artt. 43 et 77 statutorum praescripta per emanationem decisionis Rev.di Praesidis quoad redintegrationem in vita extra consociationem, securitatem socialem et adsistentiam sanitariam iuxta caritatem et aequitatem, accurata determinatione in adnexo ad decretum Pontificii Consilii facta".

### CONCLUSIO

Omnibus in iure et in facto aequa rimatis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum pree oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque respondent:

**NEGATIVE, seu decretum Congressus, die 10 ianuarii 2014 latum,  
in casu, non esse reformandum.**

Pro expensis processualibus cautio in arca H.S.T. deposita retineatur. Patrono, a Recurrente selecto, honorarium, ab H.S.T. approbatum, a consociatione solvendum est, salvo iure regressus in fine litis (cf. H.S.T. epistolae diei 13 aprilis 2013 ad Recurrentem et diei 13 februarii 2014 ad Praesidem consociationis necnon decretum diei 14 maii 2013); pars resistens suae Cl.mae Patronae congruum solvat honorarium.

Hoc definitivum decretum cum omnibus quorum interest communicandum et exsecutioni mandandum decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 22 octobris 2014.

(Signati)

Raimundus Leo Card. BURKE, *Praefectus*

Velasius Card. DE PAOLIS, C.S., *Ponens*

Iosephus Card. VERSALDI

¶ Stanislaus ZVOLENSKÝ

¶ Antonius STANKIEWICZ

Et notificetur.

Die 25 novembris 2014

¶ Franciscus DANEELS, O.Praem., *Secretarius*

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ, M.G., *Moderator Cancellariae*

\* \* \* \*